

talitatem. Est quod induit, & est similiter indumentum.

Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem: tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ut evacuatis causis mortis, per divinam victoriam: sibi absorpta non appareat.

Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Propheta ex persona iustorum loquitur instantium morti.

Stimulus autem mortis, peccatum est. Sagitta mortis peccatum, per quod animæ jugulantur.

Virtus vero peccati lex. Dum fortius & majus sit per scientiam peccatum.

Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Victoriam illius peccati in quo lex per carnalem nostram voluntatem fuerat infirmata, quam Christus cruce & exemplo destruxit.

Itaque fratres mei dilecti. Reddita resurrectionis ratione, de qua hæsitabant: hortatur eos in Dei opere permanere, jam certos de retributione futura.

Stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere Domini. Semper scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Nemo vos de gradu spei futuræ ultra permoveat.

Caput XVI.

De collectis autem que sunt in sanctos: sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ: ita & vos facite. De sumptibus dicit, qui per singulas Ecclesias collecti, Jerusalem sanctis pauperibus mittebantur.

Per unam sabbati. Una sabbati dominica dies est: sicut in Evangelio dicitur, Dominum una sabbati surrexisse.

Unusquisque vestrum apud se reponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non cum venero tunc collecte fiant. Ut paulatim reservantes, non una hora gravari se putent: ut hilares datores diligantur à Deo.

Cum autem presens fuero, quos probaveritis per Epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. Quod si dignum fuerit, ut ego eam: mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cum Macedonia pertransiero. Nam Macedonia pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo: vel etiam hyemabo: ut vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos modo in transitu videre. Spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos: si Dominus permiserit. Quia ita se agunt Macedones, ut non sit necesse mihi apud eos diutius demorari: apud vos autem necesse est ut maneam vel hyemem. Multa enim sunt que corrigantur in vobis: sicut medicus ibi moram habet, ubi plures agrotant.

Permanebo autem Ephesi usque ad pentecosten. Optium enim mihi apertum est magnum & evidens, & adversarii multi. Ideo ibi permanebo, quia cum mihi evidens datus sit aditus prædicandi: sunt plurimi, qui resistant.

Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos. Opus enim Domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat. Sine tribulationis formidine, vel etiam vestri contemptu.

Deducite autem illum in pace, ut veniat ad me. Expeto enim illum cum fratribus. Nihil admittentes, quod ad animæ ejus faciat læsionem.

De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas ejus, ut nunc veniret. Veniet autem cum ei vacuum fuerit. Vigilate, state in fide. Vigilate mentis oculis ad diaboli astutias præcavendas. State, quia instantibus difficile somnus obrepat.

Viriliter agite. Muliebris enim omnis inconstantia & varietas judicatur.

Et confortamini: omnia enim vestra in charitate fiant. Ut sit in vestra virtute profectus, omnia non inanis gloriæ causa, sed charitatis gratia facere festinate.

Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ & Fortunatæ, & Achaici: quoniam sunt primitia Achaia, & in ministerium sanctorum ordinaverunt seipos, ut & vos subditi sitis ejusmodi, & omni cooperanti & laboranti. Gaudeo autem in presentia Stephanæ & Fortunatæ & Achaici, quoniam id quod vobis decrat, in illis suppleverunt. Quia præsentibus sunt apud vos, & in ipsis magnum potestis habere profectum. Sive quia mihi venerunt pro vobis ministrare officium charitatis.

Refecerunt enim & meum spiritum & vestrum. Meum spiritum charitate, pro vobis: vestrum pro mea læticia, refecerunt.

Cognoscite ergo que ejusmodi sunt. Unde & alibi ait: Cognoscite eos qui ita ambulant ut habeatis formam nostram. Hos cognoscite, honorate cognoscentes eorum studium vel laborem.

Salutant vos Ecclesia Asia. Salutant vos in Domino multum Aquila & Prisca: cum domestica sua Ecclesia, apud quos & hospitor. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto. Domesticam congregationem fraternitatis, Ecclesiam nominavit.

Salutatio mea, manu Pauli. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. Sicut illis qui eum amant, redemptio venturus est Christus: Ita & qui eum non amant, anathema sit: id est, ut illos abominetur & perdat.

Maranatha. Magis Syrum est, quam Hebræum: tamen ex confinio utrarumque linguarum aliquid Hebræum sonet. Et interpretatur, Dominus noister venit.

Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Proprie manus confueta subscriptio.

Charitas mea cum omnibus vobis. Ut quomodo vos ego diligo, ita & in Christo invicem diligatis.

In Christo Jesu. Non secundum sæculi charitatem.

Amen. Confirmatio est benedictionis hic sermo, sicut superius ipse demonstrat: quomodo, inquit, dicit amen super tuam benedictionem?

Explicit Commentarius in I. Epistolam ad Corinthios.

COMMENTARI

IN SECUNDAM EPISTOLAM

AD CORINTHIOS.

Caput I.

PAULUS Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei. Queritur cur in omnibus Epistolis contra usum Epistolarum, primum suum nomen ponat, quam eorum ad quos literæ destinantur. Sed hoc ex autoritate Apostolici ordinis quia minoribus scriptis: ut etiam sæculi iudices solent ad eos quos regunt, scripta dirigere. Per voluntatem Dei: id est, non hominum voluntate. Simul vult ostendere non sine voluntate patris se missum à Christo.

Et Timotheus frater Ecclesie Dei, qua est Corinthi. Non dixit, Paulus & Timotheus, quia non ambo Apostoli. Ad Philippenses vero, ubi non erat tanta autoritas necessaria, servi ambo ponuntur.

Cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia. Hic sancti possunt accipi sacerdotes, qui in prima ponuntur invocantes Dominum, & ad Philippenses cum Episcopis & diaconibus. Ideo autem postea nominantur, ne parum intelligentes, eos prætermittos esse putarent. Cum sint in Ecclesia comprehensivi Achaia, cujus est metropolis Corinthus.

Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo. Hæc est solita salutatio. Hic gratias agit Deo, gaudens se ideo consolari, ut ipse alios consoletur.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum. Quia ex ipso est omnis misericordia.

Et Deus totius consolationis: qui consolatur nos. Id est, perfectæ consolationis, quia non est minus tribulatione solatium.

In omni tribulatione nostra. Id est, non in aliquibus, sed in omnibus.

De possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur & ipsi à Deo. Id est, propterea liberamur, ut & nos alios consolari & de tristitia liberare possimus. Aut ita formam dat nobis alios consolandi, ut per exhortationem, qua ipsi à Deo consolamur: agnoscamus quod Deus timentium se neminem derelinquat: &

multo magis in futuro remuneret, quos etiam in presenti non deserit.

Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis. Id est, pro nomine Christi.

Ita & per Christum abundat consolatio nostra. Ut Petrus est de carcere liberatus, & Paulus visione Domini & voce confirmatus in templo.

Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute: sive consolamur, pro vestra consolatione: sive exhortamur, pro vestra exhortatione & salute. Quia vos ad salutem hortamur: vel ut vobis exemplum tolerantia præbeamus.

Que operatur tolerantiam earumdem passionum quas & nos patimur: ut spes nostra firma sit pro vobis. Id est, ideo liberamur ut ipsa re confirmemini non pertimescere passiones, vel ut vos hortemur patienter ferre illa quæ ad presentem consolationem pertinent & futuram.

Scientes quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis. Id est, hæc est spes nostra firma pro vobis.

Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra que facta est in Asia. Narrat suas passiones, ut illi se ad illarum comparisonem parva pati cognoscant, maxime cum illi talia patiantur, qui vice Christi fuerant destinati. Sicut si quis discipulus doleat super injuria sua: cum audierit magistrum majora perpassum, consolatione accepta dolere desinit.

Quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem. Supra virtutem gravati pondere passionum.

Ita ut tederet nos etiam vivere. Ita ut mori omni desiderio cuperemus.

Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus: ut non simus fidentes in nobis. Hoc est, in nostra prudentia vel cautela.

Sed in Deo, qui suscitavit mortuos. Ipsa mors docuit nos omne humanum auxilium defecisse: & ab illo solo sperandum esse remedium, cui etiam possibile est mortuos suscitare.

Qui de tantis periculis nos eripuit & eruit, in quem speramus: quoniam & adhuc eripiet. Scit se adhuc multa passurum, qui sperat se adhuc liberandum.

Adjuvantibus & vobis. Nisi laborans non dicitur ab alio juvari.

In oratione pro nobis. Multum valet oratio totius Ecclesie: quæ Petrum de carcere liberavit.

Ut ex multarum personarum facierum ejus que in nobis est donationis: per multos gratia agantur pro nobis. Id est, ut ex multorum conventu pro eo quod vobis donamur, Domino gratia referantur: vel quia multis donati sumus, plures convertentes, per nos gratiam agunt.

Nam gloria nostra hæc est. Ideo in ipsis passionibus gloriamur, quoniam conscientia nos minime reprehendit, eo quod gloriæ vel lucri causa docere videamur.

Testimonium conscientie nostra. Id est, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei. Quomodo Deus simplex est, & sincerus.

Et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. Hoc non subdole vel astute docentes: ut sapientia carnalis quæ mercede distrahitur, sed gratis: sicut à Deo accepimus, vel Dei solius causa docemus.

Abundantius autem ad vos. A quibus nec victum, qui nobis jure debetur, accepimus.

Non enim alia scribimus vobis. Non confundor, quia vos nostis certum esse quod dico.

Quam qua legistis & cognovistis. Id est, quæ legistis in Epistola, cognovistis in conscientia.

Spero autem quod usque in finem cognoscetis. Id est, certus sum meum propositum non mutari.

Sicut & cognovistis nos ex parte. Quia nondum finis est: cum autem venerit, ex integro cognoscetis.

Quia gloria vestra sumus: sicut & vos nostra. Sic gloriantur discipuli de bono doctore, quomodo & magister in bonis discipulis gloriantur.

In die Domini nostri Jesu Christi. Quando & veri magistri & boni discipuli probabuntur.

Et hac confidentia volui prius venire ad vos. Id est, quod nihil aliud vestrum quaesivi, quam salutem.

Ut secundam gratiam haberetis: & per vos transirem in Thon. V.

Macedoniam: & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Judeam. Quia primam in primo habuistis adventu: vel ut gratiam secundam præsentia meæ post literas haberetis.

Cum ergo hoc voluissim: nunquid levitate usus sum? Quia promissum non impleverat, ne levitatis accusaretur se excusat.

Aus qua cogito, secundum carnem cogito. Id est, secundum carnalem voluntatem: carnale enim est aliquid nulla majore causa existente non facere quæ promissum.

Ut sit apud me est, & non est? Ideo non cogito secundum carnem, ut non mendax vel duplex inveniar.

Fidelis autem Deus. Ita & nos per quos ipse loquitur: dum eum imitamur, non sumus infideles.

Quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo est, & non: sed est in illo, est. Nulla in eo ambiguitas, nec nos vobis sumus aliquando mentiti.

Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos predicatus est: per me & Sylvanum, & Timotheum, non fuit in illo, est & non: sed est in illo fuit. Quare cum promississet ire se ad Centurionis puerum, non perrexit? Sed affuit spirituali gratia, qui non affuit præsentia corporali. Sed est in illo fuit: id est, immutabilis veritas, ut ad Moysem dicit: Qui est, misit me. Ille enim verè est, qui semper idem est.

Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est. Ideo & per ipsum dicimus, amen Deo, ad gloriam nostram. Omnis veritas promissionis in Christo est, quæ per nos ad Dei gloriam prædicatur.

Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo. Gratia & doctrina. Et quia dixerat per nos, modo ostendit Deum totum facere, qui in eis ista omnia operatus est.

Et qui unxit nos Deus. Spiritu sancto, vel chrismate.

Et qui signavit nos. Illud signatur, quod aliquid intrinsecus continet pretiosum.

Dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Id est: pro ara, spiritus gratiam: omnis autem ara pro magnitudine pretii dari solet. Quantum ergo pretium est, cujus tanta est ara?

Ego autem restem Deum in voce. Reddit causam non impleti promissi: hoc non suæ levitati, sed illorum infirmitati allerit deputandum.

In animam meam. Cujus secreta solus agnoscit. Quod parcens vobis non veni ultra Corinthum. Ne in vobis acrius vindicarem.

Non quia dominamur fidei vestra, sed adjutores sumus gaudii vestri. Non quod ideo credideritis, ut vobis dominemur, sicut in lege sacerdotibus: & ideo vos terremus: sed omnia ad vestram facimus emendationem: ut hic in conscientia: & in perpetuo gaudeatis: ne ipsa libertate usi fueritis in pejus.

Nam fide statis. Fide, non lege, id est, credendo Christo stare cœpistis.

Caput II.

STATUI autem hoc ipsum apud me: ne iterum in tristitia venirem ad vos. Cogitavi vel disposui, ne in tristitia secundo venirem. Qui cum primum credidistis, apud vos in gaudio fui.

Si enim ego contristato vos: & quis est qui me lætificet. Propterea id facio ut possim gaudere de vobis.

Nisi qui contristatur ex me? Qui enim contristatur, intelligit se peccasse: sicut æger qui dolorem sentit, potest percipere sanitatem, & ad medici lætium pertinere.

Et hoc ipsum scripsi vobis. Modò enim ideo scribo, vel antè scripsi, ut literis emendati, presentem me gaude re faciatis.

Ut non cum venero tristitiam super tristitiam habeam. Tristitiam habeo, quia peccastis: quæ magis augebitur, si vos non perfecte videro emendasse.

De quibus oportuerat me gaudere. De quibus semper gaudere debueram, vel de emendatione gratulari.

Confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium vestrum est. Nam ex multa tribulatione & angustia cordis. Id est, confido vos intelligere, quia tunc sit verum gaudium vestrum si ego gaudeam. Sive confido quod me taliter diligatis, ut meum gaudium vestrum esse dicatis.

Scripsi vobis per multas lachrymas. Primam Epistolam qua vos corripui: & hinc intelligendum quam fuerit de omnium salute sollicitus.

Non ut contristemini, sed ut sciatis quam charitatem habeam. Non ideo commemoro ut iterum contristemini: sed ut sciatis me omnia in charitate fecisse.

Abundantius in vobis. Ex majori sollicitudine, abundantior cognoscite charitatem.

Si quis autem contristavit me, non me contristavit. Quia per illius peccatum vos etiam correpti, amplius profecistis. Si ve qui me emendavit, non me penitus contristavit.

Sed ex parte. Id est, ex ea solum parte qua nocuit sibi: dum illi necesse est penitere.

Ut non onerem omnes vos. Ideo scribo eum recipi, ut non oneremini, si per vestram duritiam desperaverit de salute.

Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hac quae fit à pluribus. Non de illo solum dicit, qui paternum polluit thorum, sed de omni peccante: nam multos illic peccasse, Epistola prima demonstrat.

Ita ut è contraria magis donetis. Ut contra objurgationem donetis veniam.

Et consolamini. Verbis Prophetae dicentis: Nolo mortem peccatoris. Et, Iniquus quacumque die fuerit conversus, non memorabuntur peccata eius.

Ne forte abundantiori tristitia absorbeat, qui ejusmodi est. Ne forte per desperationem indulgentiae absorbeat gurgite vitiatorum: & à diabolo persuasus, ad infidelitatis & blasphemiae majora precipitia deducatur.

Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. Quia perfectè recognoscit se veniam consecutum.

Ideo enim & scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum an in omnibus obedientes sitis. Ut videam si quomodo obaudistis in vindicando: ita obaudiat in indulgendo. Obedientia enim illa vera & perfecta est, quae in nullo contemnit.

Cui autem aliquid donatis: & ego. Sicut vobiscum vindicavi: ita & dono vobiscum.

Nam & ego quod donavi. Non in mea persona, sed in Christi: qui dixit: Quaecumque solveritis in terra, erunt & in caelo soluta.

Si quid donavi, propter vos. Ne vos gravemini vel contristemini.

In persona Christi. Quia vice fungimur Christi.

Ut non circumveniamur à satana. Non enim ignoramus cogitationes ejus. Nec enim ejus ignoramus versutias. Idem si milititer circumvenit per nimiam duritiam peccatores, ut peccant desperando: quomodo nimia remissione minime corrigendo. Unde Salomon ait: Non declines in dexteram, neque sinistram. Quamvis ergo tota Epistola contra Novatum sit, tamen hic evidentiè ostenditur à diabolo circumventos poenitentiam denegare: cujus ista versutia est, ut sub specie justitiae fallat incautos.

Cum venissem autem Troadem, propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino: non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum. Modo illis vult probare quanto amplius eos diligat: quorum causa tantum sollicitus est, ut cum essent illi omnia prosperata, nullam requiem habuerit: quia Titum quem ad eos videndos miserat, non invenit, timens jam, ne minime eos correxisset: quia nondum ei quicquam renunciaverat Titus.

Sed valefaciens eis, profectus sum. Cito inde egressus sum, quamvis occasionem habuerim praedicandi.

In Macedoniam. Per quam à vobis Titus erat utique rediturus. Vicinior est enim Macedonia Achaiae, quam Troade: denique cum ibi esset, dicit Titum postea advenisse.

Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu. Triumphare facit nos per Christum, vel in nobis ipse triumphat.

Et odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco. Odor notitiae Dei, per doctrinam manifestatur & signa. Odor autem ideo dicitur, quia sentitur potius quam videtur: & quia primo credentes, aliquid tanquam per modicum odorem sentit valebant.

Quia Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi sunt, & in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem,

aliis autem odor vitae in vitam. Quidam ita dicunt, nos labor Deo semper est gratus: quia omnibus praedicamus, seu velint credere, seu nolint: sed hic proprie de illis dicitur, qui vel sanabantur per ipsos, vel in quibus vindicta fiebat. Bonus ergo odor in utriusque, quia justus.

Et ad haec quis tam idoneus? Ad haec facienda quis potest tam idoneus esse, quam nos, qui ad hoc sumus electi?

Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei. Pseudoapostolos tangit, humanum sensum divinae praedicationi miscentes. Unde Isaias ait: Caupones tui miscent vino aquam: id est, meræ doctrinae adulationis mollia verba: quibus homines non tam inebriati ferveant, quam delectati tabellebant.

Sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur. Ex Deo processit doctrina, quam scimus ipso praesente in persona dicere Christi: id est sicut ipse praedicavit.

Caput III.

INCIPIMUS iterum nosmetipsos commendare? Non ut commendemus nos vobis ista dicendo, laudare nos volumus: sed haec ne ab aliis sedecamini cogimur commemorare.

Aut nunquid egemus sicut quidam commendatissimi Epistolae ad vos, aut ex vobis? Quos non commendat gratia virtutum, illos dignè commendat Epistolae amicum.

Epistola nostra vos estis. Per vestram fidem omnibus commendamur, sicut alibi dicit: Signaculum apostolatus mei vos estis.

Scripta in cordibus nostris, quae scitur & legitur ab omnibus hominibus, manifestati. In conscientia nostris: & vos nobis praedicantibus credidistis: vel, in corde nostro est praedicatio per quam Epistola nostra estis facti, quae cognoscitur, & quae legitur ab omnibus hominibus, & manifestatur.

Quoniam Epistola estis Christi. Omnibus manifestum est, Christo vos per nostram credidistis doctrinam, confirmante virtutem Spiritu sancto. Sive, verè hinc cognoscimini Christi esse, quod ejus spiritum accepistis.

Ministrata à nobis. Hoc est Spiritu sancto preparata.

Et scripta, non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Hic differentiam inducit legis & gratiae: Judaei in dura materia legem acceperant, significante duritiam mentis eorum: sicut & velamen faciei Moysi, cordis eorum velamen ignorantiae portendebat. Nos vero quamvis legem Christi scriptam in Evangelii habeamus: tamen in primis non quasi absentes tabulis scriptis, sed praesentes per auditum Domini verba corde suscepimus. Evangelia vero postmodum scripta sunt, ad memoriam posterorum. Si ergo inexcusabiles sunt qui legem in lapidibus acceperunt: quantomagis nos qui verba Christi suscepimus, si peccemus: ut ad Hebraeos scribitur: Si enim illi non effugerunt super terram loquente illis: & reliqua.

Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum. Quia novimus vos per nos credidistis: vel, quod nos non humana Epistola, sed gratia divina commendat.

Non quod sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Vult ostendere se nihil sua prudentia facere, vel virtute: quia pauci homines rustici, nunquam sine Dei gratia totum mundum salvare potuissent.

Sed sufficientia nostra ex Deo est. Ideo hoc praemisit, quia dicturus erat tanto majus se, quam Moysen ministerium suscepisse, quanto majus est novum testamentum lege, ut eos à falsis Apostolis sibi detrahentibus revocaret.

Qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti. Dum ad hoc idonei adimplendum non essemus.

Non litera, sed spiritu. Non literae legis, sed spiritui gratiae ministrantes.

Litera enim occidit: spiritus autem vivificat. Quomodo alibi dicit legem esse spirituales spiritualibus. Ceterum peccatores occidit: gratia autem vivificat impium convertentem. Quidam dicunt, quod historicus intellectus occidat: nescientes quo nec ubique historia nec ubique possit allegoria servari: nam sicut quaedam in figura dicta sunt: ut si praepa velis allegoricè intelligere, omnem virtutem eorum evacuans, omnibus aperuisti viam delinquendi. Sed ille verus

spiritualis intellectus est, qui non verisimilibus coloribus pulchrum mendacium pingit, sed virtute rerum ipsam rem exprimit veritatis.

Quod si ministratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria. Quae mortificat peccatores: ceterum ipse eam sanctam & justam, & bonam alibi dicit.

Ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi. Id est contra Manichaeos. Nunquam enim Apostolus posset contrario comparare: id est, majorem ministrorum novi testamenti, quam Moysi gloriam dicere, si inter eos non videretur esse communio.

Propter gloriam vultus ejus, quae evacuatur. Gloria legis, per gloriam Evangelii evacuatur: sed ita evacuatur, ut proficiat: sicut infantem ipse dicit evacuari in viri perfecti aetate. Semen quoque evacuatur in fructum: melior fructus semine, sed sine eo esse non potest. Fructus non perit, sed multiplicatur semen in fructu: & ita evacuatur, sicut prophetia & scientia destruentur.

Quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? In gloria nostra, quae ut perfecta non potest evacuari.

Nam si ministratio damnationis in gloria est. Expouit quod superius dixerat: literam occidere: ministratorem esse mortis, jam damnando peccantes.

Multo magis abundat ministratio justitiae in gloria. Quod ministrat justitiam, admittendo peccata.

Nam nec glorificationem est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. In comparatione gloriae Evangelicae, obumbratur gloria legis: ut orto sole, lumen obtunditur luna, cum tamen suo tempore magnum habeat fulgorem. Hoc ostendit etiam Dominus, cum ascendens montem solus, splendore solis visus est radiasse: cum tamen Moyses & Elias visi in gloria, referantur: & ideo vox desuper patris ipsum solum gloriae praecipit audiri.

Si enim quod evacuatur, per gloriam est: multo magis quod manet, in gloria est. Si evacuandum per gloriam datum est testamentum, quanto magis erit quod permanet gloriosum?

Habentes igitur talem spem. Talem spem gloriae, quia spe salvi facti sumus.

Multa fiducia utimur. In Deo qui fecit nos idoneos. *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam.* Non ita facimus, quia jam omnes Christiani vident gloriam Domini, sancto Spiritu revelante.

Ut non intenderent filii Israel in faciem ejus. Usque in finem ejus: id est, usque in finem vitae ejus: ita & lex non intelligatur usque dum in finem ejus: id est, dum Christo creditur.

Quod evacuatur. Velamen nunc evacuatur in Christo.

Sed obtusi sunt sensus eorum, usque in hodiernum. Nisi enim crederent, intelligere secundum Prophetam omnino non possunt.

Idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum. Cujus figuram ille gestabat in facie.

Quod in Christo evacuatur. Qui finis est legis.

Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Ignorantiae, super cor eorum quibus legitur Moyses: id est, Judaeorum.

Cum autem conversus fuerit ad Deum, auferetur velamen. Cum conversus fuerit Judaeus, sicut Moyses convertebatur ad Dominum audiendum.

Dominus autem spiritus est. Nihil in illo obscurum vel velatum.

Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. Liber est spiritus: & ideo non potest velamen accipere, cum magis ipse omnia revelet: quia qui spiritum Dei habet, omnia illi nuda sunt & aperta: quia spiritus omnia scrutatur.

Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes. Evidenter & clarè Domini gloriam contemplamur.

In eandem imaginem transformamur. Quam Dominus ostendit in monte, sicut alibi dicit: Qui transfiguravit corpus humilitatis nostrae, conforme corpori claritatis suae: Sive transformamur quotidie, & nitimur transformari.

A claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Id est, ab hac gloria in futuram proficimus, spiritu Domini operante.

Caput IV.

IDEO habentes hanc administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus. Quia per nos idonei tanto officio non eramus.

Non defecimus. In omnibus tribulationibus nostris. *Sed abdicamus occulta detestor.* Id est, occulta vitiatorum. *Dedecus est enim delinquere Christum.*

Non ambulantes in astutia. Non turpis lucri gratia praedicantes.

Neque adulterantes verbum Dei. Per adulationem excusando peccata, ut aliqui causa laetificandi cor hominis, verbo Dei sermonem vilem admiscerent, & per terram reptum.

Sed in manifestatione veritatis, commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum. Sed ita manifestum est apud homines verum esse quod dicimus, ut eorum conscientia testimonium perhibeat nobis, qui resistunt.

Coram Deo. Non hominibus, i. non propter ipsos eis nos commendamus.

Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in his qui pereunt est opertum. Quasi aliquis illi objecisset, quod hanc non omnes intelligant veritatem, sed non credentes (inquit) vel subdoli, non fideles: etiam plurimi Judaeorum ignorabant.

In quibus Deus hujus saeculi excavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelii gloriae Christi. Deus saeculi potest ita accipi quomodo princeps mundi, quia ipse sibi in infidelibus vendicatum principatum: sed propter calumniam haereticorum ita intelligendum est, ut dicamus Deum mentes infidelium hujus saeculi merito infidelitatis excavasse: sicut ait Salvator: In judicium veni in hunc mundum: ut qui non vident, videant, & qui vident, caeci fiant. Et ipse Apostolus alibi ait: Quia non crediderunt veritati, sed confenserunt iniquitati: misit illis Deus spiritum erroris: hoc est, dari permittit, quia credere noluerunt: quasi si medicus inobedientem agrum deserat, ipse agritudinem dicitur prolongasse: cum tota illius culpa sit, quia audire contempsit. Tamen si rursus roget, & obtemperet, potest recipere sanitatem.

Qui est imago Dei. Imago expressa substantia Dei, sicut scriptum est ad Hebraeos.

Non enim nosmetipsos praedicamus: sed Jesum Christum Dominum nostrum. Qui enim commoda propria quaerit: non Christum, sed semetipsum praedicat: sicut qui suo ventri serviunt.

Nos autem servos vestros per Jesum. Quia vestrae utilitati omnia procuramus, exemplo Christi, qui formam servi accepit, non gloriae, nec avaritiae causa docemus.

Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere. Hoc contra omnes inimicos veteris testamenti: quia à Patre Christi est datum.

Ipsè illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei. Illuxit primus in cordibus nostris, per Jesum Christum, ut nos alios illuminare possimus.

In facie Christi Jesu. Quae claritas est in facie Christi major quam Moysi? vel in persona Christi nos homines scientia illuminamus.

Habemus autem. Hic incipit ostendere quare tanta & talia patiantur: quia de hoc illis pseudoapostoli detrahebant.

Theaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei: & non ex nobis. Thesaurum gratiae spiritualis in fragili corpore bajulamus, in quo etiam cum alios sanemus, ipsi aliquoties infirmamur: ut quod facimus, non nostrae virtutis, sed Dei esse noscatur.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. Persecutionem quidem patimur, sed per solatium futurae spei non angustiamur, sed amplius delectamur.

Aporiamur, sed non desistimus. Persecutionem patimur, sed non derelinquimus. *Humiliamur, sed non confundimur.* Et cade, & opprobriis, sed divino non desolamur auxilio.

Dejicimur, sed non perimus. Usque ad desperationem vitae venimus, sed non morimur, sed & si morimur, non perimus.

Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes: ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.